

2
3.
4.
5
6.
7
8.
9.



1674.

1. Alberti, Valentini: De ordine intentionis et executionis actuum voluntatis divinae. An scilicet: Nec ex hoc firmiter concludi possit?
2. Boetii, Johann Godefrid: De figuris per chirographum.
3. Carpzov, Augustus Benedictus: De commendatione
4. Carpzovius, Augustus Benedictus: De correctione haeresium.
5. Carpzovius, Augustus Benedictus: De observantia
6. Cyprinus, Johann: De statu et motibus Galliae in Lotharingum Prussiae desinentibus
7. Ernesti, Joh. Henricus: De Zootomia parentum in lteros.
8. Franckensteinus, Christianus Fridericus: De Alexander et virtutibus et vitiis Magus sine characteri Alexandri.
9. Gispert, Fridr: Sylloge litterarum variarum. Allerkend Brief. Artex.

1674.

10. Hammermullerus, Henr. Christoph: Desobylis

11. Lockmann, Gauspried: De furti apud Lacedaemonios

Licentia.

12. Menckenius, Otto: De jure magistratus circa venationes

13. Rechenberg, Adam: De collatione munerum publicae

sen promotione

14. Gissler, Elias: De symbolis von Junker oder Leibesprä.

chez.

15. Romanus, Paulus Franciscus: De eo, quod differet

executionem ? Supt. 1674 & 1748.

16. Romanus, Paulus Franciscus: De Tutelis personarum illu-

strum

17^a Romanus, Paulus Franciscus: Inventionum juridicarum:

De feudis secunda, eorum objectum, modos constituendi

et acquirendi continens.

17^b Romanus, Paulus Franciscus: Inventionum juridicarum

De feudis tertia et ultima, eorum finem, effectum ab. contracta
continens.

1674.

18. Romanus, Paulus Franciscus: De iudiciis paganicis

19^{a et} Romanus, Paulus Franciscus: ~~De feudis~~ Parentatis

unum iudicium: De feudis prima, eorum definitio.
nem, divisionem, et subjectum continens, 25 impl.

1674 n^o 1712.

20. Romanus, Paulus Franciscus: De servitibus feudalis

21. Scherzerus, Joh. Wlhelm: Traculum Jacobicum Cap. 17.

De illustrissimo divinae immutabilitatis maiestate

22. Schrencken Doerfferus, Bartholomaeus Leonhardt: De

divortio.

23. Schrencken Doerfferus, Bartholomaeus Leonhardt: De specifica-

tionem.

24. Stempel, Johann Augustus: De sabbato Christianorum

25^{a et} Thomassinus, Jacobus: De cautelis principum circa

colloquia et congressus mutuos. 25 impl. 1674 i 1750

1674.

26 Thomerius, Jacobus: De justitia et jure belli
primi Prusii ex Joh. Freinsheimii Suppl. Liv. 16,
17, 18 et 19.

EXERCITATIONUM JURIDICARUM

De

FEUDIS,

PRIMA

Eorum Definitionem, Divisionem,
& Subjectum continens.

Quam

Deo, & superioribus allubescantibus

PRÆSIDE

VIRO

*Plurimum Reverendo, Nobilissimo, Amplissimo, Consul-
tissimo atq; Excellentissimo*

DN. PAULO FRANCISCO RO-

MANO, J.U.D. Com. Palat. Cæs.

Pandect. P. P. celeberrimo, Amplissimæ Facultat. Jurid.
Assess. & Canon. Numburg. Gravissimo.

Domino Patrono & Præceptore atq; atem devenerando.

Solenniter proponit

JOHANNES GEORGIUS à SCHÖN-
BERG, Eqves Misnicus.

AUTHOR

d. 22. April. Anno, M. DC. LXXIV.

horis locoq; solitis

LIPSIÆ,

STANNO COLERIANO.

*Vox die fr. Schönb. von
Schönb.*

M
1674, 19^a
21

1. April. 25



EXAMINATIONUM JURIDICARUM

DE

FELIX

PRIMA

Horum Dissertationum, Divisionum
& Speculationum

Quarundam

Ab Eminentissimo

Patre

TITIO

Philosopho, Jurisconsulto, &

PAULO MARCIANO

Ab Eminentissimo

Patre

Abel & Carol. Martini

Patris

JOHANNIS

DE

ANNO

STANNO CORRELANDO



REVERENDISSIMO. SERE-
NISSIMO. ATQUE. CELSISIMO.
PRINCIPI. AC. DOMINO.

DN. MAURITIO.

POSTULATO. ADMINI-
STRATORI. EPISCOPATUS.
NUMBURGENSIS. DUCI. SAXO-
NIÆ. JULIÆ. CLIVIÆ. ET. MONTIVM. LAND-
GRAVIO. THURINGIÆ. MARCHIONI. MISNIÆ. NEC.
NON. SUPERIORIS. ET. INFERIORIS. LUSATIÆ. PRINCIPI.
COMMITATUS. HENNEBERGICI. COMITI. MARCÆ. ET.
RAVENSBURGI. DOMINO. IN. RAVENSTEIN. NEC.
NON. COMMENDATORI. PROVINCIALI.
BALIVATUS. THURINGIÆ.

Exercitium hoc Academicum

Humillime offert

Sereniss. Celsit. Vestræ

Devotissimus & subjectissimus

JOHANNES GEORGIUS
à Schönberg.

*Maximè Reverendis, Generosis,
Strenuis, Magnificis, Amplissimis, Eccle-
siae Cathedralis Numburgensis, Emi-
nentissimo*


**DN. PRÆPOSITO, DECANO
ac reliquis
DNIS. CANONICIS**

Patronis Meis Maximis

in submissis Obsequiis

*testimonium hanc Dissertationem
consecrat*

**JOHANNES GEORGIUS à
SCHONBERG.**



Stemma dedit, proavosq; tibi, nec feuda negavit
Majorum generis nobilis ordo Tui.
Tu studiis, generi quæ debes, aslere Feuda,
Sic poteris generis Creditor esse Tui.

Hisce

*Nobilissimo Dn. Resp. de erudito
specimine gratul.*

AUG. BENED. CARPZOV, D.P.P.
Acad. h. t. RECTOR.

Incipis eximio conamine FEUDA, scholamq;
Implēs doctrinâ & Nobilitate Tuâ,
SCHŒNBERGI, Tibi sit Virtus & gloria Feudum,
Sic patriam laudem laude Vasallus habes.

*Sic Nobilissimo Dn. à Schönberg in
laudem & spem Patriæ & gene-
rosæ Familiæ nato gratulabatur*

Christophorus Pincker, D.
Sereniss. Sax. Elect. à consiliis Ap-
pell. Scabinat, Lips. Sen. & Patriæ
Consul.

G

Cum

CUM Myrios inter rutilos, Generose, Vasallos,
Non nisi de Feudis differuisse placet,
Et bene! de Feudis fas est narrasse Vasallum,
Ut fas de ventis Automedonta loqui.
Quidnam ego? Feudorum quoniam de Jure me-
reris,
Feuda tibi obveniant plura deinde precor.

*Hoc & Nobilissimo Dn. Disputanti,
& Illustri Familia Schönber-
gia debuit*

Joh. Ad. Scherzer/SS. Th.D.
& Prof. Primar. Ingenui Præfulatus
Mifn. Canonicus & Consistor. Electo-
ral. ac Ducal. Sax. quod Lipsiæ est,
Adfessor.

ULTIMA non laus est, ex claro sanguine nasci:
Fortes enim fortes creantur.
Gloria at est major, si quis clarescere tentat
Et propriis virtutibus.
*Nobilitas etenim vera est, virtute paratam
Quam quis tuetur strenue.*
Hocce Tuò factò, Patris non degener heres,
Laudabili jam comprobas.
*Palladis assiduus, Sanctæq; Themistis alumnus
Semper fuisti sedulus.*

Utq;

Utq; Tui studii doctissima pignora linquas,
De Jure Feudi differis.

Laudo conatum, Virtus Tua proderit olim
Tibi, Tuoque proximo!

Vade bonis avibus! sis Genteq; menteq; clarus,
Vereq; Nobilissimus!

Id quod

Generoso Dn. Respondenti, Fautori suo
Honoratissimo, Amico Certissimo,
discessum Lipsiâ cum Deo meditan-
ti gratulabundus apprecatur

D. Joh. Henr. Melich,
Lipsiens.

Pugnasse quondam strenuè pro Principe,
Et patriâ; subserviisse gnaviter
Negotiis, & publicum vi Consilii
Bonum gubernavisse prima contulit
Non immerenti *feuda*, quæ deinceps
Virtutis ampla spes propagat tempore
Ad posteros. Hæc scire qui desiderat,
Adito nostri paginas SCHÖNBERGII,
Cognoscitoque, laudibus quod patriis
Nec non avitis proprias superstruat.

Properabat

CHRISTIAN FRIDERICUS
Frankenstein/P.P.

Ad

Ad
Generosum Dn. Auctorem
DISPUTATIONIS,
Amicum & Fautorem
non unò nomine Honorandum :

QVid, disputando, niteris scientiam
Juris, probare publicè, cum *Fratribus?*
Jam visa multis, jam probata plurimis
Virtus, & acris diligentia, ô *mei*
Schæenbergii, vestra, omnibus notissima,
Sed proprium *generis*, id est *vestri incluti*,
Heroiciq;, ornare *stemma*, propriis
Virtutibus, factoque reddere sic magis
Illustre. Quis non prædicet *Schæenbergios?*

L. M. Q. A.

M. A. Rechenberg/
Fac. Phil. Assess.






I. N. D. N. F. C.

CAPUT I.

*De Origine Feudi & autoritate
Juris feudalis.*

§. I.



DE Origine Feudorum multa inter Eruditos est concertatio, nec facile intelligitur, cujus sententiæ tutò subscribi queat. Occurrunt enim qui à primis Urbis Romæ initiis incunabula eorum repetunt, quasi Romulus Clientes, Patronosq; constituens, eo ipso quoque Dominorum & Vasallorum conditionem simul induxisset. Alii militiis benignitate Veterum Imperatorum concessis, de quo crebra in jure mentio, nihil aliud, quàm feuda demortui militis hæredibus data fuisse, existimant. Sunt etiam, qui à fundis limitaneis primordium ipsorum repetunt. Sed & reperiuntur, qui ea, quæ in legibus de custodibus & colonis traduntur, ad Feuda & Vasallos referunt. Denique

A

Læ-

Lælio Taurello per militum insolentiam, & conniventiam Imperatorum ea inducta placuit: Et nemo in his est, qui non sat speciosis argumentis sententiam suam propugnare annisus sit. Quod si tamen dicendum, quod res est, nulla ex his opinionibus, utut à suis Autoribus oppidò propugnentur, satis ad palatum est. Neque enim Clientelæ & fundi limitanei belli, sed pacis occasione constituti sunt, & plerumque clientes sibi ipsis Patronos eligebant, neque in militiis beneficium, & fidei promissio, nec custodes & coloni ullam militaris muneris necessitatem, quam tamen feuda maximam partem respiciunt, in se habebant; Et quod Taurellus refert, facti est, adeoq; probatione indiget. Cumq; adeo in his aliisq; de eâ re sententiis nulla certitudo, ut rectè Sonsbecius, quò nemo accuratius de Feudis scripsisse dicitur, affirmet, nullum, qui ejus veritatem exactè doceat, reperiri, nos quoque iudicium meritò suspendimus, atq; originem hanc adhuc in incerto esse existimamus.

§. 2.

Feudis autem constitutis, certa de iis jura partim recepta, partim sancita fuere. Horum loco Constitutiones quædam Imperatorum & Decreta Pontificum de Feudis concepta, veniunt. Illa, licet apud diversas Gentes diversa fuerint, 2. F. I. Cujac. *in libr. 1. F. 1.* inter ea tamen primum locum obtinent Consuetudines Longobardicæ, de quibus apud Dd. controversatur, an ad jus scriptum, an verò ad jus
non

non scriptum referri debeant. Joh. Reinhold *in comprehens. Feud. pr.* Petr. Lorio *in us. Feud. in pr.* Schrad. *de Feud. p. 2. sect. 3. n. 114.* consuetudines has feudales juri scripto annumerant, hâc potissimum ratione moti, quod vel expressâ, vel tacitâ Imperatorum confirmatione sint approbatæ. Verùm cum hujus confirmationis ab Imperatoribus factæ expressè quidem nusquam mentio fiat, tacitâ verò jus scriptum non introducatur: rectius contrarium statuunt Ardizon *in sum. c. 2.* Bart. *ad l. 32. ff. de LL.* Belviso *in I. F. I. §. fin. Curt. p. 1. q. 1. n. 11.* Porro, cui istæ consuetudines in acceptis ferendæ sint, iterum in incerto est, teste Hartm. Pistor. *Lib. 2. q. 34. n. 17.* Niell. *disp. feud. 1. th. 3.* Neque enim Gerharo Nigro & Oberto de Orto compilatio earum adscribenda est, prout existimant Curt. Jun. *p. 1. q. 1. n. 1.* Schrad. *p. 1. q. 1. n. 3.* neque cum Cujacio & Borcholt collectio libri primi Gerharo Nigro, secundi & tertii verò Oberto de Orto tribuenda videtur, utpotè ex quorum rationibus saltem demonstratur, horum librorum Compilatorem Oberti de Orto, & Gerhardi Nigri annotationes non rarò adhibuisse, Dn. Struv. *Synt. Feud. c. 1. aph. 5.* neque eorum sententiæ pollicem premere possumus, qui Imperatores Authores hujus compilationis venditant. Pifo Soaz. *prælud. feud. c. 1. n. 21.* cujus opinionem refutat Ludvv. *Synop. feud. c. 1. & Hunn. tr. feud. c. 2.* Autoritas earum in eo posita est, ut in vim consuetudinis generalis non propter primam compilationem, sed quod usu communi re-

ceptæ, & in scholas & fora Germanorum introdu-
ctæ, omnes tam Laicos, quam Clericos, 2. F. 40. c. ex
transmissa. 6 & c. verū. 7. X. de for. comp. Glossa in c. ex parte 2
de feudis, Bald. & communiter Canonistæ in c. ceterum 5
de judiciis. obligent. Id quod tamen tantum de ordina-
riis capitulis, non verò extraordinariis à Cujacio an-
nexis dictum esse volumus, dissentiente licet B. Fin-
ckelthufio, *Disp. Feud. I. controu. 16.*

§. 3.

Constitutiones Imperatorum quod concernit,
de earum autoritate non dubitatur, arg. §. 6. F. de F. N.
G. & C. & l. 1. ff. de Constit. Princip. Decreta verò Pon-
tificum eatenus saltem, quatenus usu seculo XIII.
sunt recepta, vim quandam obtinent. Dn. Struv.
Synt. Feud. c. 1. aph. 7.

CAP. II.

De Nomine & Definitio-
ne Feudi.

§. I.

CUM ex nominis significatione mens dicentis
melius & planius appareat, teste Celso in l. 7. §. 2.
de supell. leg. de feudis tractaturi, prius vocabuli Ety-
mon nō nihil hīc perlustrabimus. Feudum autē alii
ab antiquā voce Germ. *Sehd* / sive *Seide* / Feida, quæ
hostilitatem designat, deducunt, Ferrar. Mont. 1. F.

c. 1.

c. I. Bart. Camerar. *in repet. c. imperialem, de prohib. feud. alienat.* Alii à fœdere, quod scil. inito fœdere Dominus & Vasallus ad mutuam invicem fidem præstandam sese obligent, 2. F. 6. §. fin. Thom. de Marin. *de gen. & qual. feud. tit. 16. n. 2. Sonsb. p. 2. n. 32.* Alii ab obsoleto Germanorum *Söden* seu *Süden*/ quod pascere denotat, derivant, quasi prædia ad alendos equos Vasallis sint concessa, Rittersh. *part. feud. lib. 1. c. 1. q. 12.* Cùm verò hæ opiniones facili negotio refutentur à Dn. Struv. *c. 2. aph. 1.* & Luddvv. *c. 2. illa potius communis & tutior sententia arridet nobis, quam ipse Feudista, 2. F. 3. §. 1. habet, quâ Feudum à fide seu fidelitate deducitur, Ardiz. c. 4. Rosenth. c. 1. concl. 8.* In fidelitate enim tanquam forma essentiali consistit Feudum, 2. F. 3. 5. & 6. à quâ sententia non multum recedit Gædd. *disp. feud. 1. th. II.* ubi distinguit inter notationem nominis, & ejus conjugationem. Si quæstio sit de origine vocis, unde scil. conjugetur Feudum, illud esse à Feida; si verò quærat, quæ sit ratio impositi nominis, à fide seu fidelitate nominari putans. Dicitur aliàs beneficium, 1. F. 1. §. 2. & 4. 1. F. 14. 15. 16. 17. & c. non quidem merè gratuitum, sed ob causam datum, ita, ut inter contrahentes *συνάλλαγμα* constituatur. Rosenth. *c. 1. concl. 2.* Item vocantur Feuda *κρηματα στρατιωτικά*, h. e. prædia militaria, uti ea appellat Constantinus Imperat. *apud Harmenopol. l. 1. epit. tit. 16.* Dicitur etiam privilegium, quia privis, i. e. singulis, *Cic. l. 2. de Leg. Gell. l. 10. c. 20.* confertur. Germanicè Feudum vocatur

tur ein Lehn/quod non quidem à Gothico vocabulo Leodes, seu Leides, sed potius à Germ. Lehen/oder Lehenen/ derivandum est. Petr. Heig. q.2.n.68. Dn. Struv. c.2. aph.1.

§. 2.

Antequam autem ad Rei definitionem progrediamur, ne in illud Philosophorum traditum, quod Arist. 6. Topic. c.1. & 6. habet nullum scilicet Homonymon definiri posse, impingam, Homonymiam paucis enucleabimus. Tripliciter verò Feudi vocabulum accipitur, I. efficienter pro actu, quo Contractu interveniente Feudum constituitur, 1. F. 8. 25. 2. F. 24. & 33. II. Objectivè pro re ipsa in feudum concessa, 1. F. 4. §. 1. 2. F. 8. c. 1. sicut quoque mutuum, §. 2. F. de F. N. G. & C. l. 2. & 3. ff. de R. C. depositum, §. 3. F. quib. mod. re contr. obl. l. 1. pr. ff. de pos. Pignus, l. 1. pr. ff. de pign. act. l. 3. 4. & 13. ff. eod. Dos & Emphyteusis, modo pro ipso contractu, modo pro re, quæ in eum venit, sumuntur. III. Effectivè, pro jure, quod habet partim Dominus, 2. F. 9. 34. §. 1. partim Vasallus, 1. F. 1. 25. 2. F. 24. & 33. Gædd. disp. feud. 1. th. 12. Anton. disp. 1. th. 2. & novissimè Ritter. lucubr. feud. c. 3. §. 2. Nos potissimum Feudum pro jure, quod habet Vasallus ratione feudi, accipimus.

§. 3.

Cognitâ sic definitione nominali, ad Realem recto ordine pergimus, & cum periculosum sit proprio Marte in tanto Jctorum dissensu, ubi teste Curtio p. 1. q. 6. c. 7. tot ferme sententiæ, quot capita, defi-

definitionem accuratam componere, Dn. Struvii, quam habet *Synt. Feud. c. 2. aph. 3.* nostram faciemus, ubi ita describit Feudum, quod sit dominium utile in re immobili aut æquipollente, à retinente dominium directum alicui constitutum, ita, ut hic ad fidelitatem illi exhibendam sit obstrictus.

§. 4.

Et cum omnis definitio perfecta ex genere & differentiâ constare debeat, teste Bartol. *in l. 1. ff. de test.* quapropter & nos primò Genus definitionis nostræ breviter illustrabimus. Ejus autem loco ponitur dominium utile. Vocabulum verò domini generale est, & sumitur 1. pro quacunque facultate & potestate legitimâ ad aliquid, uti in *l. 9. ff. ad L. Rhod. de jact.* accipitur, 2. pro jure privatorum in res, & comprehendit sub se non solum dominium in specie sic dictû, sed & omnes juris in re species, 3. deniq; pro jure proprietatis, quod quis in ipsam rem habet, & cæteris juris in re speciebus contradistinguitur.

§. 5.

Nobis Feudum in primo significato dominium dicitur, & quidem utile: Rectè enim dominium in Directum, & utile dispescitur. Et quamvis hoc expressis juris verbis statutum non reperitur, uti objiciunt Borcholt. *de feud. c. 1. n. 15.* Cujac. *l. 1. obs. 35.* ubi hanc divisionem errore introductam dicit;



cit, & Hostiens. in *Sum. tit. de feud. §. qui jur. acquir. v. vasal.* Chimeram nominat, textuum tamen ratione, & usu jam recepto ea invaluit. Cùm enim vindicatio præsupponat dominium, *l. 23. c. de R. V. §. 4. F. de act. l. 14. de except. rei jud.* Vasallo verò rei vindicatio competat, *2. F. 8.* patet, Vasallum jus quoddam dominio proximum habere, quod dominium utile vocari potest, B. Eckolt. *ad c. tit. de acquir. rer. dom. §. 6.*

§. 6.

Ita autem vocatur à Dd. vel ab utili actione seu vindicatione Vasallo competente, Borcholt. *c. 1. n. 17.* vel ab utilitatibus, in quibus Vasallus Domino directo præfertur, Ros. *c. 1. concl. 6. lit. a.* Differentia specifica desumta est à materia, forma, & fine. Materiam objectivam constituunt tam res immobiles, *2. F. 1. in fin.* (est enim de essentiâ feudi scil. proprii, ut in re immobili constituatur, Rosenth. *c. 2. concl. 53.* Dn. Struv. *Synt. Feud. c. 2. aph. 5.*) quàm æquipollentes, *2. F. 1. Zas. p. 1. n. 6.* Borcholt. *c. 6. n. 1.* Subjectivam exhibent Dominus & Vasallus. Ille quidem dominium directum retinens, in quo iterum essentielle Feudi residet, *2. F. 23. Zas. p. 1. n. 8.* Hic verò dominium utile, seu usumfructum, vel propter singulare meritum, vel propter pecuniam accipiens, Sonsb. *p. 2. n. 28.* Forma cum fine coincidit, & in obligatione ad fidem præstandam consistit, *2. F. 3. 6. 7. 23.* & cùm hæc fides de essentiâ feudi, *Zas. de Feud. p. 1. n. 8.* Rosenth. *de feud. c. 2. concl. 53.* & forma specifica sit, quæ esse

esse dat rei, atq; abesse non potest, (formâ enim destructâ, tota res corrui, l. 9. §. 3. ff. ad exhib.) firmiter Dd. concludunt, fidelitatem in feudis nec pacto remitti posse, Curt. p. 1. q. 7. n. 5. Struv. c. 2. Aph. 6. Et per hanc fidelitatem feudum à cæteris cognatorum iurium speciebus discernitur, Molin. *Conj. Par. tit. 1. n. 114.* In quibus verò figillatim feudum ab istis iuribus differat, potissimum apud Dn. Struv. c. 2. aph. 10 videre est. Atque hæc fidelitas principaliter Vasallum respicit dd. text. per consequentiam verò vi mutue obligationis simul quoque Dominum. Iste enim pariter Vasallo ad fidem adstringitur, 2. F. 6. 26. v. *Domino.* Mynf. *decad. 11. Resp. 7. n. 2.* eamque fidelitatem Domini Dn. Struvius Essentiale consecutivum feudi appellat, *Synt. Feud. c. 2. aph. 5.*

§. 7.

Explanatam hanc Definitionem probamus, reprobatis, quas alii adferunt. Et I. Obert. de Orto 2. F. 23. *in fin.* & qui eum secuti, Forcatuli *cap. 2.* Curt. p. 1. q. 6. Ardiz. *summ. c. 3.* qui feudum beneficium dicunt. Verum ibi descriptionem potius, quam definitionem haberi, jam dudum demonstrarunt Wes. *de feud. c. 1. n. 2.* Vult. c. 2. n. 5. & hanc definitionem quatuor potissimum vitiis laborare annotavit nuperrimè Bicc. *in Aur. sect. 2. th. 50.* II. Hottomanni per Clientelam militarem feudum definientis. Sed cum hæc Definitio non omni feudo, sed ei saltem, quod militiæ causa datû est, competere videatur, & sic strictior sit definito suo, nec hanc admittendam

B

esse

esse censemus. Neque eorum sententiæ subscribere possumus, qui Contractum feudi Genus constituunt, ut Schrad. *p. 2. c. 1. n. 3.* Wes. *c. 1. moti text. 2. F. 87.* qui tamen textus, utpote extraordinarius, non sufficientem probandi vim habet, Carpz. *Disp. Feud. 1. th. 21.* Rosenth. *c. 7. concl. 33.* Et utique differunt Feudum, & Contractus, per quem Feudum constituitur. Aliam adfert Duar. *de Feud. c. 2. n. 1.* Feudum scilicet esse rem immobilem. Aliam Godfrid. *in summ. de feud. & Petr. de Bella pertica tit. 1. de Feud.* quod sit concessio pro homagio facta; à quâ non multum dissentiunt Sonsb. *p. 2. n. 1.* & Curt. *p. 1. q. 6. n. 2.* Aliam denique Bocer. *clas. 5. Disp. 12.* & novissime Biccus, *Aur. ject. 2. th. 50.* qui per jus in re describunt Feudum. Sed cum prior rem potius ipsam, quàm jus in ea constitutum, altera causam magis quam effectum definiat, tertia loco proximi remotum genus exhibeat; hisce omnibus præferenda videtur Definitio suprâ à nobis proposita.

CAP. III.

De Divisionibus Feudi.

§. I.

Discussa definitione, ordinis nunc ratio exigit, ut de divisionibus breviter differamus. Et quamquam earum numerus apud Dd. variet, uti videre est

est apud Ludvv. *Synop.* c. 3. in eò tamen consentiunt plurimi, quòd aliæ sint Textuales, in textibus juris Feudalis expressæ: aliæ Magistrales, seu ab Interpretibus hujus juris confictæ, *Vultej. lib. I. c. 8. n. I.* ibique allegati. Nobis hîc insigniores, quibus reliquæ plerumque continentur, tantùm illustrandæ erunt, Et quidem primò se sistit divisio in Feudum Proprium, & Improprum. Proprium est, quod habet perfectam Feudi essentiam, & regularem ejus naturam, *Schneid. p. I. n. 35. Giph. Disp. 2. n. 88.* Essentia verò Feudi consistit in eò, ut res 1. sit immobilis, vel æquipollens. 2. ut non per directum dominium, sed utile saltem constituatur. 3. ut fides promittatur, de quibus tamen suprâ jam in definitionis explicatione dictum. Et hæc remitti salvâ feudi proprii essentiâ nequeunt. *Curt. p. I. q. 7. Ros. c. 2. concl. 53.* non tamen cum Hanetonio c. 2. statuendum, ac si fides, tanquam essentielle feudi proprii, in improprio remitti possit. Fides enim de substantiâ non proprii tantùm, sed uniuscujusvis feudi est. 2. *F. 3. Sonsb. p. 2. n. 33.* Natura feudi est qualitas Feudis innata, quæ inesse feudo censetur, nisi per singulare pactum fuerit immutata, 2. *F. 2. §. ult.* Ejusmodi Naturalia sunt, quòd 1. Vasallus ad juramentum fidelitatis sit obstrictus, 2. *F. 3. 24. §. I. 47. in fin.* 2. quòd sine consensu Domini feudum alienari nequeat, 2. *F. 52. 55.* 3. quod servitia à Vasallo sint præstanda, 2. *F. 23. in fin. 2. F. 104.* Plura, & quidem XXIII. apud *Sonsb. p. 4. n. 3. & Struv. c. 2. aph. 7.* videri possunt.

Hæc naturalia si absunt, Feuda degenerantia fiunt quidem & impropria, Feuda tamen nihilominus manent. *I. F. 14. §. 2. 2. F. 2. §. 2. præterea. 50.* prout in Contractibus naturalia possunt pactis mutari ipso Contractu manente, *Gloss. in l. pacta conventa. 72. ff. de cōtrah. empr. Rosenth. c. 2. concl. 54.* Improprüm siquidẽ est, quod à regulari Feudi essẽtia vel natura recedit. Unde *Dn. Struv. c. 4. aph. 1.* dividit illud in impropriũ ratione essentiaẽ, & ratione Naturæ. Illud esse dicit Feudum in re mobili, ut pecunia constitutum (de quo infra de Rebus dicitur.) Hoc iterum dividit in Improprum ob singulare pactum, & ob specialem conditionem. Improprum Feudum respectu pacti est, 1. Censuale, quod sub præstatione annuæ pensionis conceditur, & ideo Impropriis annumeratur, quia in eõ locõ servitorum certus census præstandus. *Curt. p. 1. q. 6. Struv. c. 4. aph. 10.*

§. 2.

Secunda Species Feudi Impropii est Feudum Hereditarium, cui opponunt *Dd.* Feudum ex pacto & providentiã. Hanc divisionem ab Interpretibus communiter receptam esse, nullo tamen juris feudalis textu & ratione fulciri statuunt. *B. Finckelth. Disp. 2. th. 19. & Dn. Carpz. Disp. feud. 2. pos. 29. Schulz. c. 3. n. 101.* Cũ itaque absque lege nihil asseverandum sit, *c. 20. consulisti. c. 2. q. 5. l. 5. C. de repud.* imò hæc distinctio potius naturæ feudorum adverteatur, ideo eam rejiciendam censent *Obrecht. tr. feud.*

feud. l. I. c. 9. n. 124. Hartm. Pift. l. 2. q. I. n. 99. Sed eam
 divisionem quatenus differentia ejus ex modo suc-
 cedendi defumitur, juri Feudali non omninò inco-
 gnitam fuisse, textus, 2. *F. 48. & 50.* satis probant.
 Alibi quoque si non expresse, tacite tamen in jure
 feudali habetur, id quod ex text. in quibus pacto &
 conventionem à regulari succedendi modo recedi
 posse dicitur, demonstratur. Quanquam, etiam-
 si in jure feudali non occurreret, non statim ideo
 rejicienda esset, per ea, quæ habet *Vultej. l. I. c. 8.*
n. 25. Ludw. Synops. Feud. c. 4. & Struv. c. 4. aph. II. In
 Camera quoque eam receptam esse, testatur *Gail.*
2. obs. n. 18. Verùm quomodo hujus divisionis speci-
 es inter se differant, intricata inter *Dd.* controversia
 est, ut non nisi Imperatoriâ autoritate sopienda vi-
 deatur *Rosenth. Synops. Feud. c. 2. concl. 33.* Nos reje-
 ctis aliorum opinionibus, quas recensent & refu-
 tant *Vultej. l. I. c. 8. n. 25. & Hunn. tr. feud. c. 6.* Feu-
 dum Hereditarium describimus, in quo succeditur
 modo succedendi civili, vel ex dispositione juris
 communis. Ex pacto & providentiâ autem, in
 quo succeditur jure sanguinis secundum disposi-
 tionem juris feudalis. Et feudo quidem simplici-
 ter concessio est Feudum ex pacto & providentiâ;
 in dubio enim feuda propria potius, quam impro-
 pria, *arg. l. 69. ff. de Leg. 3. & act. 9. secundum juris com-
 munis dispositionem celebratus, eiq; se conformâf-
 se contrahentes præsumuntur, l. 62. de R. N. l. 38. ff. de
 acquir. hered. c. cum dilectus 8. de Consuet.* Accedit, quod

is, in cuius potestate est legem apertius Contractui dicere, sibi imputare debeat, quod suis melius non prospexerit, *l. 39. ff. de pact.* Scivit enim, aut scire debuit, Feudum ita constitutum per naturam suam ad quoslibet heredes non pertinere. Nec quicquam pro contrariâ sententiâ facit ratio Hartm. *Pist. l. 2. q. 3.* Rosenth. *c. 2. concl. 25.* hoc in casu Feudum Hereditarium esse statuentium, quia in dubio sibi quisque & heredibus suis prospicere voluisse præsumatur, *l. 9. in fin. de probat. 2. F. 18.* Ista enim præsumptio locum habet tantum in heredibus feudalibus, & nisi natura negotii subjectaque materia aliam fortiolem inducat, & procedit hoc quidem respectu animi acquirantis, non verò respectu animi concedentis, Vultej. *lib. 1. c. 8. n. 32.* Textus verò *2. F. 18.* de speciali loquitur casu, cuius ratio est, quòd filia in investiturâ simul comprehensa fuerit, Niell. *disp. feud. 1. th. 10.* Carpzov. *disp. 2. n. 30.* Et hoc in Camerâ observatur, teste Mynsing. *cent. 4. obs. 2.*

§. 3.

Feudum Hereditarium excipit feudum Francum, quod ita dicitur, quia liberum ab oneribus, Bursat. *cons. 4. n. 5.* Est enim Feudum Francum feudum impropriū ab omni servitio exemptū. Hoc feudū esse impropriū exinde patet, quia in eò servitia, quæ de feudi naturâ sunt, *2. F. 23. in fin.* remittuntur *2. F. 104.* Schrad. *c. 4. n. 6.* Borch. *c. 4. n. 32.* An verò Feudum Francum sit, ex verbis investituræ constare debet, quod in iis communiter ita exprimi solet: **Und dürs-**
fen

fen uns davon keine Dienste leisten / teste Schneid. p.1. n. 54. Oldrad. *conf.* 34. Castr. *conf.* 32. At in dubio Feudum potius non francum præsumitur, Gloss. in c.1. §. præterea 2. quid sit invest. Zas. p.1. n. 2. Sösb. p.9. n. 24. A servitiis igitur liber est tale feudum accipiens, non tamen à fidelitate, hanc enim tanquam essentielle non posse remitti, jam supra probatum dedimus. Nam & quoad reliqua recti feudi naturam retinet, & quod Curtius p.1. q. 8. n. 29. Schneid. *cit. loc.* dicunt, Vasallum de hoc feudo liberè testari, illud alienare, non refutare, item Ecclesiam in eò succedere posse, partim contra expressos juris feudalis textus & rationes est, partim probatione indiget, uti benè ad eorum argumenta respondet Finkelth. *Disp.* 2. *contro.* 25.

§. 4.

Quartam feudi improprii secundum naturalia speciem quoque existimamus feudum emptum, quod pecuniâ interveniente constituatur. De naturâ verò feudi est, ut sit gratuitum, 2. F. 23. 1. F. 27. Rosent. c. 2. *concl.* 61. Carpz. *Disp.* 2. n. 47. Alii quidem propriis potius accensendum putant, moti 1. F. 20. ad text. 2. F. 23. Sed ex eò saltem probatur, quod feudum debeat esse beneficium, non verò merè gratuitum. Neque enim omne beneficium est gratuitum, l. 3. ff. de obs. Par. & text. 1. F. 27. de pacto commissorio jure civili etiam improbato intelligendum esse asserit Struv. c. 4. *aph.* 15. Sösb. p. 2. n. 8.

§. 5.

§ 5.

His accedit quinto feudum injuratum, in quo Vasallo juramentum fidelitatis remissum est. Nam & hoc, quamvis contra regularem feudi naturam id fiat, remitti potest, 2. F. 324. 40. 47. Anton. disp. feud: 1. th. 7. Zaf. p. 12. n. 34. Et licet juramentum ipsum remittatur, Vasallus nihilominus ad ea omnia, quæ in illo continentur, Domino suo obligatus est, Rosent. c. 2. c. 60. & 66.

Sequitur sexto Pignoratitium, quo Dominus acceptâ pecuniæ summâ sub hõc pactõ, ut is pecuniâ solutâ iterum reluere possit, feudum concedit, 1. F. II. 1. 2. F. 23. Improprii nomen fortitur, quia non in perpetuum datur, 2. F. 23. sed quovis tempore solutâ pecuniâ redimi queat, 1. F. 27. quamvis in posterioribus investituris nulla relutionis mentio facta fuerit. Atq; sic in Camerâ in causâ Hessen/ contra Guttenberg pronunciatum fuisse testatur Rosenth. c. 6. c. 80. Abusivè etiam illud feudum Pignoratitium appellatur, quod alteri pignori datur, Struv. c. 4. aph. 14.

§ 6.

Annumeratur feudis Impropriis etiam feudum certi servitii, quod alii conditionatum vocant, quando scil. in investiturâ certa quædam servitia expressa sunt, ad quæ Vasallus Domino tantum obstrictus est, Ludw. tr. feud. c. ult. Hoc feudum improprium esse ex text. 2. F. 2. §. prætereà 2. apparet. Neque tamen desunt, qui Contrarium statuunt, per text.

text. 2. F. 23. *in fin.* Sed in dict. text. non tantum Feudum proprium, sed feudum in genere definitur. Ludw. d. l. p. 109. Et talia Feuda impropria sunt Feudum Castrense, Germ. *Burglehn* / quod sub hoc pacto Vassallis datur, ut ad defendendum certum castrum Domino sint obligati. Item Feudum Aulicum, Germ. *Hofflehn* / quod pro certo servitio aulico est concessum, Schrad. c. 4. n. 17. item, ut Vassallus festis diebus ducat in ædem sacram Uxorem Domini, 2. F. 2. §. 2. mensæ Domini inserviat, &c.

§. 7.

Absolutis nunc Feudorum Impropriorum propter singulare pactum speciebus, subjiciemus eas, quæ ob specialem sui conditionem ita dicuntur. Inter illa primum Feudum Fœmineum eminet, quod Franc. Sonsb. p. 4. n. 28. Rittersh. lib. 1. c. 4. q. 18. ex effectu successionis potius, quam prima acquisitione dijudicandum existimant, quum in text. 2. F. 30. Feudum fœmineum generaliter dicatur illud, quod fœmina possidet, nulla habita vel successionis, vel acquisitionis ratione. Quam sententiam per text. 2. F. 50. *vers. tunc enim.* ex quo apparet, non tantum à primo acquirente feudum fœmineum appellandum, sed etiam à successione, confirmari putant. Rectius tamen cum Vultej. lib. 1. c. 8. & Hartm. Pist. l. 2. q. 34. n. 13. illud à prima acquisitione fœmineum appellatur, 2. F. 17. enim istud quoque feudum, quod quis pro filiabus simul accepit, Paternum, i. e. Masculinum, 2. F. 18. vocatur. Accedit, quòd tritissima ju-

C

ris

ris feudalis regula sit, quæ ex 2. F. 17. eruitur: In feudis semper primum Stipitem inspiciendum esse. Præterea in 2. F. 1. & 50. Feudistæ feudum fœmineum ab eo, quod pacto ad fœminas transit, expressè distinguunt, Hartm. Pist. 2. q. 34. n. 13. Anton. Disp. 1. th. 7. Gœdd. Disp. 2. th. 1. Ad obstantes dissentientium textu respondet Hunn. tr. feud. c. 6. Illud tamen inficias ire non possumus, si largissimo modo loqui velimus, istud feudum fœmineum etiam dici posse, in quo fœminæ ex pacto succedunt, etiamsi illud à fœmina originem non trahat, Rosenth. c. 2. c. 7. Struv. c. 4. aph. 17. Est igitur feudum fœmineum feudum, improprium, quod à fœmina primum est acquisitum, 2. F. 30. 50. Improprium dicitur, quòd, cum de natura feudi sit, ut Masculi saltè in eo succedant, 1. F. 8. §. 2. filia. 2. F. 11. 23. §. 0. pr. in hoc etiã fœminæ ad successionē adspirare possint, & huic cōtradistinguitur feudū Masculinū, quod à Masculo primū fuit acquisitū, atq; ita nūcupatur dupliciter 1. omne feudū sic dicitur, in quo fœminæ nō succedūt, 1. F. 1. §. 3. 2. F. 23. Altero modo, in quo fœminæ quidem succedunt, a masculo tamen acquisitum est. Addunt nonnulli tertiam speciem, feudum scil. Mixtum, quod Masculus & fœmina simul acquisiverunt. 2. F. 85. 104. alii tamen illud ad masculinum, tanquam præcipuum, non malè referunt, præsertim cum hæc tertia species nullo textu authentico probari possit. Carpzov. Disp. 2. th. 4. D. Bechm. usu præct. Exerc. 18. tit. de feud. fœm.

§. 8.

Seqvuntur nunc illa feuda, quæ partim ideò
 Impropriis annumerantur, quia temporalia sunt,
 & maximè personalia, 1. F. 1. §. 4. 2. F. 23. partim quia
 non in re immobili, sed mobili constituuntur, 2. F. 1.
 & 23. Et sunt Feudum Camerae, Cavenae, Gvar-
 diae, Gastaldiae, Advocatae, Soldatae, Habitationis,
 Aperturae. Feudum Camerae, cuius 2. F. 1. 2. F. 2. §.
 1. 2. F. 50. & 58. in pr. mentio fit, est, quod alicui ex
 ærario Domini ob præstita servitia ad dies vitæ assi-
 gnatur, Germ. *Gammerlehn/Manngeldt/Schneid.*
p. 2. n. 24. Et hoc feudum etiam in vectigali consti-
 tuti posse docet *Zaf. p. 12. n. 32.* Quãdo tamẽ Camera pe-
 nuriã premitur, illud solvi non debet, 2. F. 58. *Sonsb.*
p. 4. n. 34. 35. Cavena, seu ut alii malunt, Caneva à
 Cavea seu Caverna, quod cellam vinariam signifi-
 cat, deducitur, secundum *Hottomañ.* Aliis à Came-
 ra & avena derivari placet. Est autem Feudum
 Cavenae feudum improprium, quod Dominus è
 cella aut horreo alicui constituit 2. F. 1. 2. §. 1. Et hoc
 quoque feudum sicuti proximè præcedens, si cella
 aut horreum penuriã laboret, cessat, 2. F. 58. (nisi
 culpã promissoris cella sit evacuata, d. text. 2. F. 58.
Gloss. ibi.) ita tamen, ut si iterum cella abundare cœ-
 perit, tunc præteritorum etiam annorum debita
 præstanda sint, *Schrad. p. 2. c. 3. n. 86.* Rosent. & ab eo
 allegati *c. i. c. 76.* feudum Gvardiae, (quæ vox cu-
 stodiam denotat) est feudum improprium, quod
 Dominus pro castro seu territorio custodiendo con-
 cedit.

cedit. Impropii nomen meretur, quia non in perpetuum datur. 2. F. 23. sed elapso anno semper auferri potest, 1. F. 2. pr. §. II. nisi annus iste per pactum auctus sit. Bald. ad d. text. 1. F. 2. Gastaldia seu Castaldia (quod vocabulum alii à *Gast & halten* / alii à *casa*, quod domunculam, & *alta*, quod ministram seu famulam designat, derivant,) idem est ac gubernatio seu ut Giphanius mavult, domus. Unde Feudum Gastaldia est, quod Dominus militi propter Gastaldiam, sive gubernationem, quam exercet, concedit, 1. F. 2. Hoc Feudum cum eadem ratione impropium dicatur, quâ feudum Gvardia, de eo prolixiores non erimus, sed potius ad Feudum Defensionis seu Advocatiae pergimus, quod est tale feudum, quod propter defensionem Ecclesiae vel Urbis tribuitur, atque vel ab Imperatore ad defensionem Ecclesiae constituitur, vel per quod ipsa Ecclesia seu Civitas in protectionem alicujus se confert. In quo posteriori casu, cum fidelitas nulla juretur, aliis magis tantum jus protectionis est, Rittersh. l. I. c. 2. §. 5 Et horum feudorum apud Germanos admodum frequens usus est, initia vero à defensione Ecclesiarum coeperunt, Vultej. c. 8. ubi hodiernum civitates imperiales Tutelares suos, *Schutzherren* / habere testatur. Sequitur Feudum Soldatæ (à solidis dictum, 2. F. 10.) Germ. *Sinaden-Lehn* / & est praestatio quaedam annua gratuita, quæ à neutra parte in heredem transit, sed morte dantis, vel accipientis finitur, text. eod. Potest consistere etiam in aliis rebus, ut vino, &c.

arg.

arg. d. text. verb. plerumque. Unde non multum differre videtur à feudo Camerae & Cavenae. Feudum Habitationis est, quando habitatio domus in feudo conceditur. Improprium dicitur, quia itidem temporale, 2. F. 105. *arg. l. 10. ff. de usu & hab. Ros. c. 2. c. 67.* Ultima denique feudi hujus improprii species est feudum Aperturæ, quod eâ conditione Vasallo datur, ut loco servitorum tempore belli & pacis arcem vel civitatem Domino aperiat. Dicitur Germ. *Ein Offenhaus* / & ratione hujus feudi nulla alia servitia deberi scribit Tiber. Decian. *conf. 58. n. 40.*

§. 9.

Seqvuntur jam aliæ divisiones feudorum, quarum primâ feudum in Novum, & Vetus distinguitur, & fundatur 2. F. 3. *pr. II. I. 15. 32.* Novum est, quod Vasallo ipse de novo acquisivit, neq; ab alio, quàm à Domino concedente habet. Vetus est, quod ab aliquo ascendentium acquisitum per successionem in alios derivatum est. Hic illa feudi Veteris in Paternum & Antiquum subdivisio, quam Zaf. *p. 3. n. 1. Borch. c. 4. n. 7.* propugnant, removenda est. Paternum vocant, quando ab ascendentium aliquo ad quartum usque Gradum obvenit. Antiquum verò, quando illud à majoribus supra quartum gradum acquisitum est. Adducunt pro hac sententia potissimum text. 1. F. 8. §. ubi paternum illud nominatur, quod vel avus, vel proavus acquisivit, & l. 10. §. 7. *ff. de grad. & affin.* ubi dicitur, parentes usque ad tritavum proprio vocabulo appellari. Verùm cum

Hartm. Pist. 2. q. 5. n. 2. Niell. *Disp.* 1. th. 7. Carpz. *Disp.* 2. th. 8. divortium ab iis facimus. Nullā enim differē-
tiam inter feudum antiquum & paternum esse, pa-
tet ex innumeris ferè juris feud. textibus, ubi illa
promiscuè usurpantur, ut 1. F. 4. §. 2. 12. 14. 2. F. II.
v. his 12. 14. 15. Neque ullibi in jure feud. paterno
antiquum; sæpissimè autem novum, ut 2. F. II. op-
ponitur. Nec quicquam in contrarium urget 1.
F. 8. §. 1. non enim ibi mens fuit feudistæ, ut feudum
paternum antiquo opponeret, sed jus antiquum,
saltem recenseret, quo successio quartum gradum
non excedebat. Cùm igitur illud jure novo cor-
rectum, & feudi successio in infinitum producta sit,
per d. text. 1. F. 8. *verb. sequi* item, 1. F. I. §. 1. 2. F. 60. pro
contrariā sententiā stabiliendā inde parū erui po-
terit: Lex verò adducta 10. ff. *de grad.* non negat, eos
etiam, qui ultrā tritavum sunt, appellari posse pa-
rentes, sed quod proprium & speciale nomen adsit,
quò denotari possint, & quod posteriores etiam pa-
rentes vocentur secundum 1. 4. §. 2. ff. *de in jus voc.* &
§. 1. *Inst. de Nupt.* Proinde alii Feudum novum tunc
dicendum esse existimant, si ad Dominum per-
venerit, & eidem Vasallo tanquam novum iterum
sit concessum, Ros. c. 2. c. 18. Vult. l. 1. c. 8. Hinc quoq;
novum erit, si filio conferatur feudum à patre amif-
sum, 2. F. 45. 54. Carpz. *Disp.* 2. th. 6. Schulz. c. 3. n. 68.
Sic etiam feuda nova dicuntur, quæ ex pretio vete-
ris aviti venditi sunt comparata. Pecunia enim in
locum rei non succedit, l. 3. C. *in quib. caus. pign. tac. contr.*

l. 48.

l. 48. §. 7. ff. de furt. Schrad. p. 2. c. 3. n. 57. Struv. c. 3. Aph.
 2. Quam tamen assertionem Dd. limitant, si emens
 protestatus fuerit, declarando, velle se, ut pecunia ex
 venditione bonorum avitorum redacta in locum
 illorum surrogari debeat, Berl. p. 2. concl. 13. Ros. c. 2.
 c. 16 aut si aliud actum fuisse, alio modo appareat,
 Godofred. Anton. Disp. 1. th. 5. Vetus e contra est, aut
 saltem ejusdem naturam habet illud, quod consen-
 tientibus, quorum interest, cum veteri permuta-
 tur, arg. l. 36. §. fin. ff. de donat. int. vir. & ux. Berl. d. l. &
 Anton. d. l. Celebris hinc quaestio inter Dd. oritur, an
 feudum novum jure feudi antiqui concessum, an-
 tiqui naturam & qualitatem assumat. Et quidem
 Oldrad. cons. 178. n. 3. Haneton. Disp. feud. n. 1. qv. 3. il-
 lud negant, cum veritatem rei non immutet deno-
 minatio hominum, l. 3. ff. de Castr. pecul. l. 17. & seqq. C. de
 probat. Addunt, quod feudum antiquum jure novi
 concessum maneat antiquum; Contrariorum vero
 eadem sit ratio, l. 1. ff. de his, qui sunt sui & c. Veritati ta-
 men propius accedere videtur illorum sententia,
 qui feudum novum tanquam antiquum conces-
 sum, non quidem ratione causae & originis, sed ra-
 tione juris & effectus, antiqui naturam recipere pu-
 tant. Cum enim tota ferè feudorum conditio à pa-
 ctis investituræ adjectis dependeat, per ea etiam id
 effici potest, ut feudum novum pro antiquo habeat-
 ur, Ros. c. 2. c. 15. Curt. p. 1. q. 8. Ad dissentientium argu-
 mēta respondem⁹, quoad prius quidē, illud conce-
 dendo ratione causae & originis, non vero effectus.
 Hunn.

Hunn. *tr. feud. c. 6.* quoad posterius, negando, quod feudum antiquum in novum mutari nequeat. Hoc enim fieri posse, dummodo nullius præjudicium subfit, Dd. communiter statuunt. Vult. *l. 1. c. 8. n. 7.* Gail. *2. Obs. 49.* Cæterum in dubio feudum potius antiquum, quam novum præsumitur, *2. F. 11. v. si verò. 26. pr.* Ratio addi potest, quod semper naturale magis, quam accidentale præsumatur, Schrad. *p. 2. c. 3. n. 41.* Vult. *l. 1. c. 8. n. 8.* Sed hæc assertio limitanda, si aut Dominus, aut Vasallus feudum possideat: Pro possessore enim uti jure civili, *l. 14. ff. prob. l. 5. §. 1. ff. de calumn.* ita etiam feudali præsumtionem militare, patet ex *2. F. 33. §. 1. v. F. 4. §. 4.* Si itaque Dominus possideat, novum præsumitur feudum, si Vasallus, antiquum, & possessor onus contrarium probandi in adversarium transfert, nisi vel possessio vitiosa sit (quæ possidenti commodo esse nequit) vel fortiores pro adversario conjecturæ extent. Carpz. *Disp. 2. th. 11. Schulz. c. 3. n. 70.*

§. 10.

Porro dispescitur feudum in Nobile & Ignobile, *2. F. 10. 53.* (Perperam itaque Intrigl. *q. 31. n. 26.* omne feudum nobile esse asserit.) Nobile autem denominant alii à Re, quasi res in feudum data possessorem suum nobilitet, Ros. *c. 2. c. 2.* Borcholt. *c. 4. n. 13.* & Dd. communiter ad *d. text. 2. F. 10.* alii à causa efficiente illud feudum nobile dicunt, quod ab eo, qui nobilitandi facultatem habet, datum est. Schrad. *p. 2. c. 3. n. 10.* & ab eo allegati. Alii ab annexa dignitate,

tate, alii à formâ investiendi, ex consuetudine Domini, Curiaë, &c. nobile appellari autumant. Nos ab eorum parte stamus, qui feudum nobile dicunt, quod is concessit, qui & potestatem & voluntatem nobilitandi habet. Niell. *Disp. 1. th. 7.* Carpz. *d. 2. th. 14.* Quam voluntatem Dd. in expressam & tacitam dividunt. De posteriori intelligunt d. text. 2. *F. 10.* ubi de Ducatu investitus dicitur Dux, non tantum ob Ducatum, sed præsumtam concedentis voluntatem. Non igitur sufficit aut sola potestas, aut sola voluntas, sed ambo conjunctim requiruntur. Unde fit, ut si quis de Ducatu seu Comitatu ab Imperatore sine voluntate nobilitandi investiatur, non dicatur Dux, aut Comes, sed possessor Ducatus, ein Inhaber oder Besizer des Fürstenthums / oder Graffschafft / Rosent. *c. 2. c. 2.* Carpz. *Disp. 2. th. 15.* Atq; hoc nobile feudum iterum subdistinguitur in Regale, & non-Regale, *1. F. 14. 2. F. 10. in pr.* Feudum Regale describit Borch. *c. 4. n. 12.* quod Regalem dignitatem annexam habet; rectius tamen à Vult. *c. 10. n. 8.* definitur, quod sit Feudum nobile Principis hanc potestatem habentis autoritate concessum cum dignitate regali. Ex quâ descriptione patet, ad Regale Feudum omnino requiri, ut 1. cum dignitate regali, 2. à summo Principe conferatur. Ros. *c. 2. c. 1.* Regale dicitur, quia illud accipientes omnibus juribus Regi competentibus fruuntur. Vocatur Germ. *Sahn* - oder *Scepter* / *Lehn* / à solennitate investiendi. Princeps enim secularis cum vexillo, Ecclesiasticus

D

cum



cum Sceptro investiri solet, Schneid. *p. I. n. 30.* Non regale est, quod tantum nobilitatem in specie confert, & dicitur Nobile in specie, de quo jam supra actum. Ignobile est, quod is, qui aut potestate, aut voluntate nobilitandi destituitur, concedit. Movet hinc quaestionem Rittersh. *l. I. c. 3. n. 9.* an dignitas Equitis aurati dignitatibus feudalibus annumeranda sit? Ubi eam negativè decidit, quia hæc dignitas non perpetua, nec in heredes transitoria, ut feudum. Dissent. Oldend. *cl. 5. de benef. act. §. equest.*

§. II.

Porro dividitur Feudum in Ecclesiasticum, & Seculare. Ecclesiasticum autem quidam definiunt, quod tantum personæ Ecclesiasticæ conferatur. Hattysf. *analys. c. 4.* Alii, quod vel ab Ecclesiastica persona datur, vel ab ea recipitur, Sonsb. *p. I. n. 5.* Zas. *p. 2. n. 7.* Cum verò Clericus in bonis propriis seculare constituat feudum, 2. *F. 35.* & Clerici ratione bonorum, quæ in feudum acceperunt, non considerentur ut Clerici, Gail. *lib. 1. Obs. 30.* cum Vult. *l. I. c. 8. n. 19.* & Niell. *Disp. I. th. 3. lit. K.* feudum Ecclesiasticum ita potiùs describimus, quod in re Ecclesiastica constituitur, *arg. Nov. 7. c. 3. Nov. 55. c. 2. Nov. 120.* Dicitur Germ. *Ein Scepter / oder Krumbstabs Lehn* quia ejus investitura per baculum & anulum fiebat. Limn. *ad Aur. Bull. c. 5. §. 1. obs. 21.* Andreas Knichen *de pact. invest. p. I. c. 4. n. 40.* hoc feudum esse improprium statuit, quod foeminae in eò succedant. Cum verò textus ab eo adducti sententiam istam non

nō probēt, rectius feudis propriis accēsetur, Schulz. c.3.n.78. Carpz. *Disp. 2. th. 33.* Seculare est, quod in re profana constituitur, argumento à contrario sensu desumpto. *arg. 2. f. 35. c. 6. X. de foro Compet.*

§. 12.

Prætereà distinguitur in Ligium & non-Ligium, quam divisionem nonnulli ipso jure feudali fundari contendunt, propter text 2. *F. 52. §. 2. & 2. F. 99. Ros. c. 2. c. 3.* Godofr. Anton. *Disp. 1. th. 3.* Quibus contradicunt Hunn. *tr. feud. c. 6.* Finckelth. *Disp. 2. Controv. 10.* ubi ad illos textus respondent. Ligium dicitur à ligando, secundum excellentiam, quod tale feudum habens, singulari & arctiori, quam in reliquis feudis, modo ligetur, Vult. *l. 1. c. 8. n. 20.* vel à ligatis pollicibus, quia Reges ligatis pollicibus illos, qui eorum Ligii fiebant, sibi obnoxios reddere solebant, Gædd. *Disp. 2. th. 2.* Vel etiã à Lilio insigni Gallorum, quod hoc Feudum in Gallia ortum ad Longobardos postea translatum nonnullis videatur, Forcat. *c. 3. n. 1.* Vocatur etiam Homologum, Cujac. *in c. 1. de prohib. feud. alien. Borch. c. 4. n. 23.* Feudum autem Ligium est, de quo Vasallus fidelitatem debet præstare Domino nullo anteposito. Unde requirunt Dd. ad Feudum Ligium, ut (1.) dans non recognoscat superiorem, (2.) ut Vasallus juret fidelitatem, nullius alterius fidelitate reservatã. *Gloss. clem. Pastoralis, de sent. & re jud. Bald. in l. un. C. de caduc. (3.)* ut expressè dicatur in investitura, quod feudum debeat esse Ligium. *Bald. in c. inter dilectos, X. de fide instrum.*

Curt. p. 1. q. 8. (4.) ut Vasallus principaliter personam, consequenter etiam omnia bona (nisi ea ab alio in feudum jam recognoscat,) potestati & jurisdictioni Domini subiciat. Qui enim personam, bona etiam obligare videtur, *arg. auth. ingressi, C. de SS. Eccles. l. 15. ff. de adopt. Rosent. c. 2. c. 2.* Papam tamen, uti Imperatorem, ipso jure in feudo Ligio esse exceptum, nonnulli affirmant, sed hosce refutant Hunn. *tr. feud. c. 6. Carpz. Disp. 2. th. 25.*

Ex suprâ adductis requisitis patet, unum quidem posse plurium Dominorum non Ligium, aut unius Ligium, alterius verò non Ligium, non verò eodẽ tempore duorum Ligium esse, 2. F. 52. § 2. Gloss. & Dd. in clem. *Pastoralis de sent. & re judic. Quã tamẽ sententiã Roset. c. 2. c. 44. & Vult. l. 1. c. 8. limitant, ut procedat ab initio, non verò ex postfacto, veluti si quis feudum Ligium habens succedat alteri feudum æquẽ Ligium habenti, quo in casu per substitutum servit. Jas. in prelud. n. 10. Cujac. in c. 1. de feud. Lig. & duas quasi personas gerere videtur. Solent etiam hîc Dd. communiter distinguere inter Vasallum Ligium absolutè seu propriè, & analogicè seu respectivè sic dictum. Dicta de priori, qui feudum ab Imperatore, cui adversus omnes, nullo, nisi DEO excepto, fidelitatem præstare debet, accepit, negant; quamvis de posteriori, qui inferiori Principi ad fidelitatem contra omnes, solo supremo anteposito, obstrictus est, illud concedant. Godofr. Ant.*

Disp. I.

Disp. 1. th. 3. Non Ligium est, de quo quis fidelitatem præstat, uno vel altero anteposito.

§. 13.

Dividitur quoque Feudum in id, quod est in Curte, & quod est extra Curtem, 1. *F. 5. §. 1.* Quamvis hanc divisionem magis separationem feudi ratione situationis, quod aliud in Curte, aliud extra Curte Domini sitū sit, tantū esse statuat Dn. Bechm. *Exerc. 1. tit. quib. mod. feud. amit.* Sumitur vox Curtis vel propriè pro area muris circumdata, Hottomañ. *Comm. de verb. Feud. verbo Curtis*, & significat domum seu Curiam Domini, 2. *F. 51 pr.* vel impropriè seu latè, pro omnibus iis, quæ ad domum seu curiam Domini pertinent, & denotat totum territorium. Ex quâ duplicis vocis Curtis acceptione fluit duplex feudi in Curte descriptio: Strictè enim & propriè feudum in Curte est, quod in re ad Curiam Domini pertinente constituitur, 1. *F. 5. 2. F. 51.* Latè verò & impropriè illud feudum in Curte dicitur, quod in territorio Domini est, quod ultimum rectius de Curte vocatur, Schneid. *p. 9. c. 1.* Cujac. *4. F. 19.* Et hæ potissimū divisiones usu receptæ sunt. Traduntur adhuc aliæ à Dd. passim. v. g. quod feudū dividatur 1. in Corporale, & Incorporale. Corporale dicunt, quod in re corporeâ immobili, Incorporale, quod in re incorporeâ cōsistit, 2. *F. 1.* Corporale iterū distingunt in Soli, & Solo cohærens. Hoc vel de Camera, vel de Cavena. Utrumque vel merè gratuitum, vel officiosum. Quod iterum vel Nominatum, vel In-

D 3

no-

nominatum faciūt. Nominati species esse perhibēt feuda Gvardiæ & Gvaftaldiæ. Innominati, Feudum Advocatiæ. 2. In Perpetuum, quod natura sua perpetuò manet apud posteros primi acquirentis, qualia ferè hodiè omnia sunt, & Temporale, quod tempore perit. 3. In Dividuum & Individuum. Illud vocant, quod simul cum re, in quâ est, dividitur. Individuum verò, quod nec juris, nec rei feudalis divisionem recipit, §. præterea l. 2. F. 55. 4. In Reale, quod ad heredes transit, tam concedentis, quam acquirentis, Personale, quod ad vitam alicujus tantum conceditur, & Personalliffimum, quod nulla ex parte ad heredes transit. 5. In singulare, in quo sunt res singulares, & Universale, in quo sunt res plures diversæ, & quasi sub Universitate comprehenduntur, ut Ducatus, &c. Curt. p. 1. q. 4. Zas. p. 9. n. 41. 6. In Alienabile & Non alienabile, 2. F. 51. c. 1. & Bald. ibi. 7. In Edictale & Decretale, Speculat. tit. de feud. §. quoniam. Rosent. c. 2. concl. 79. 8. In Collaterale & Rectilineum, Schulz. in Synops. c. 3. Quas summo tantum digito hōc in locō attigisse sufficiet.

CAPUT IV.

De Personis feudum conferentibus.

§. I.

§. I.

Absolutis variis feudorum speciebus, ad ejus constitutionem accedamus. Et cum parum sit, jus nosse, si personæ, quarum causa constitutum est, ignorentur, §. 12. *F. de F. N. G. & C. l. 2 ff. de Stat. hom.* Personas, quæ feudum constituere, & quibus dari potest, breviter recensebimus. De personis conferentibus regulam habemus 2. *F. 3.* quod scilicet feudum dare possit omnis, qui res suas liberè & legitimè administrare, easq; alienare potest. Quæ Regula etiam in *l. 25. §. 11. ff. de hered. pet. l. 21. C. mand. l. 2. ff. si à par. quis man. l. 14. C. de contrah. emt.* fundata est. Hinc patet, nullam esse distinctionem hinc inter Clericos & Laicos faciendam. Clericorum autem (qui divino cultui omnia ministeria religionis impendunt, *l. 3. C. Theod. de Episc. & Cler. c. Cleros d. 21.*) ordinem communiter triplicem constituunt. Quidam enim in summo, in medio quidam, & denique in infimo nonnulli gradu sunt. In summo existit Pontifex; in medio Archiepiscopus, Episcopi, & Patriarchæ: in infimo Abbates, Abbatissæ, Præpositi, &c. Sicut autem hæ personæ Ecclesiasticæ sæpissimè tum propria, tum Ecclesiæ bona possident, ita quoque quid de singulis eorum liceat, separatim dicendum erit. Et quidem proprias res in feudum dare posse non est, qui dubitet, propter text. 2. *F. 35.* Uti enim quilibet, ita etiam Clericus rei suæ moderator & arbiter est. *l. 21. C. mand.* Ubi tamen notandum, Monachos, quamvis & ipsi Clericorum appellatione

ne

I.



ne veniant, 2. F. 26. §. 2. Cum nulla regulariter possidere bona soleant, utpotè quæ monasterium ingressi DEO dedicarunt, *Nov. c. 5. aub. nunc autem, de Episc. & Cler. c. 2. & 6. X. de Stat. mon.* non posse feuda aliis concedere, *Rosent. c. 3. c. 4. Vult. c. 3. n. 2. Ecclesiæ bona quod attinet, ea Papam posse in feudum dare, nulli dubitamus, c. 2. X. de Præbend. in 6. c. 2. vers. præter hæc de sent. & re jud. in 6. faciunt, text. i. F. 1. 2. F. 25.* argumento à minori ad majus desumpto. Et non tantum in feudum dare posse Papam ea, quæ ad Pontificatum spectant, sed omnium Ecclesiarum bona, Pontificiæ autoritatis defensores communiter statuunt. *Bald. in c. bon. elect. X. de Post. prælat. ubi dicit: Uti se Sol habet in Planetis, ita Papa in Ecclesiis, Curt. p. 2. c. 11.* Quam tamen assertionem alii limitant, ut si sint res pretiosæ & magni valoris, non nisi cum consensu Cardinalium, qui capitulum sunt Universalis Ecclesiæ, & quos in quasi possessione illarum esse ex *Alvarot, deducit Rosët. c. 4. c. 17. cōcedere possit, Curt. p. 2. q. 11. n. 5. Schneid. p. 2. n. 11.* Quamquam hūc consensum alii non tam de necessitate, quam honestate requirant. Secundò prædicta sententia limitatur in rebus inferiorum Ecclesiarum, si earum Episcopi jam antea res Ecclesiæ suæ alteri legitime in feudum concessere, tunc enim si postea Papa cuidam easdem res in feudum daret, secundam concessionem non valere existimant, quia duo in solidum utile dominium ejusdem rei habere nequeunt, *l. 8. §. 25. ff. commod. Papa verò Vasallum semel in-*

infeudatum non nisi culpa præcedente & infecuta eam sententia declaratoria feudo privare potest, Bald. *per text. in c. un. f. 7 de natura feudi. Schneid. p. 3. q. 17.* Et hæcenus dicta procedunt nõ tantũ in reb9 Ecclesiæ infeudari solitis, sed etiam in iis, quæ non solent. Illud verò Canonistarum assertum probare non possumus, quò Imperium Romano-Germanicum feudum esse Papæ, arroganter affirmant. Cùm enim Imperium Romanum ipso fatente Pontifice *c. 6. d. 96.* non sit de re Ecclesiastica, nec Papa, quod nunquã habuit, in alium transferre potuerit, *c. 59. de R. J. in 6.* satis patet illud fundatum non esse. Unde nec unquam Imperator Pontifici juramentum fidelitatis præstitit, & quamvis nonnulli Pontificiorum juramentum aliquod præstitum adducant, non tamen de juramento fidelitatis tale quid probare poterunt. Ita Otto Imperator Pontifici suam adversus Berengarium opem sub juramenti fide pollicitus fuit. In textibus etiam *c. 2. de feud. & rejud. in 6. c. 33. d. 63.* ipsius Papæ testimonium non admittimus, nec Innocentii secundi, qui in Ecclesia Lateranensi hæc depingi jussit, quæ hodie num ibidem conspiciuntur:

Rex venit ante fores, jurans prius urbis honores.

Post homo fit Papæ, sumit quò dante coronam.

Utpotè quæ testimonia rejiciuntur, cùm in propria causa controversa sint, *l. 10. ff. & l. 10. C. de test.* Archi-

E
epi-

episcopi, Episcopi, & cæteri Prælati res Ecclesiæ in feudum concedere possunt. *I. F. I. 3. 6* Et quidem res aliàs infeudari solitas sine consensu capituli, *I. F. I. pr. & 26. c. ex parte 2. de feud. verb. liberè, quod importat nullum alius consensum requiri. Curt. p. 2. q. 2.* ubi adductis rationibus ad contraria respondet. Facit, quod Prælati in bonis à capitulo distinctis plenam habeat administrationem sine consensu Capituli, *c. 21. edoceri. de rescript. Gail. lib. 2. obs. 161.* Quæ sententiam tenent *Zaf. p. 5. n. 47. Jacob de Belviso in I. F. I. c. 1. & de consuetudine ubique in Germania receptam testantur Myns. c. 5. obs. 47. Gail. lib. 2. obs. 161.* Baldus tamen in *c. 1. I. F. I.* circa hanc quæstionem distinguit, an concessio feudi attributa sit soli Prælati, & solus Prælati poterit infeudare, an verò etiam Capitulo, & unà Capituli consensu opus esse statuit. Sed hujus rationibus respōdet *Curt. p. 2. q. 2.* Alii planè negant Prælatum sine consensu Capituli posse infeudare. *Azo in summ. c. de SS. Eccl. n. fin. Decius, cons. 13. n. 2. it: 328. per c. 2. c. 12. q. 2. c. 1. 28. de his, quæ fiunt à Præl. sine cons. capit.* In quibus textibus expresse mutatio, alienatio, donatio rerum Ecclesiasticarum sine consensu Capituli Prælati interdicitur. Deinde in omnibus actionibus Ecclesiæ præjudicium concernentibus consensu Capituli requiritur, *c. 5. de his, quæ fiunt à Præl. sine cons. capit.* Sed ad hæc facilis respōsio est, siquidem textus adductos loqui de rebus infeudari non solitis, patet ex text. à nobis supra allatis, *c. 5.* verò de magno aliquo Ecclesiæ præjudicio acci-

accipi debet. Quale non est infeudatio rei infeudari solitæ, quæ jura Ecclesiæ in sua integritate relinquit, *c. 6. de his, quæ fiunt à Præl. sine cons. capit.* & potius est continuatio veteris, quàm nova infeudatio, *2. F. 3. c. 1. ibi Gloss. in verb. à minori. Rudin. l. 1. cõtrov. 70.* Ut verò res infeudari solita dicatur, rejectis aliorum opinionibus, quas latè refutat Hunn. *tr. feud. c. 9. p. 376.* cum neque de temporis diuturnitate, neque actuum frequentiam quicquam certi & solidi in jure feudali habeatur, utrumque judicis arbitrio committendum censemus. *Duar. c. 5. n. 6. Finckelth. Disp. 3. th. 4.* Quamvis itaque res infeudari solitas possint in feudum dare Prælati, novas tamen qualitates, quibus feuda illa mutantur, adjicere nequeunt. *Moz. in tr. de feud. tit. de his, qui feud.* Hanc tamè conclusionem limitat *Schneid. p. 3. n. 3.* ut possint novas qualitates addere, si ex parte recipientis singulare præcessit meritum, *arg. 1. F. 24.* (qui textus in rebus Ecclesiæ etiam locum habet.) *c. 12. relatum v. juxta, de testam.* (2.) Si de novo justa mutandi causa accesserit, ut in *c. 2 in fin. de feud.* Res infeudari non solitas Prælati in feudum sine consensu capituli concedere non possunt, *c. 2. X. de Feud. c. ad nostram. X. de reb. Eccl. non alien.* sive istæ res diu apud Ecclesiam fuerint, sive noviter sint acquisitæ. Et si infeudatio ita facta esset, ab ipso concedente vel quocunque cujus interest, retractari posset. *Zaf. p. 5. n. 53. 54.* Prælati denique vacante ipsum Collegium vel Capitulum infeudat, nisi esset Ecclesia cathedralis

asserente ita Rittersh. *p. feud. c. 5. n. II. & Sonsb. p. 6. n. 4. per tit. X. ne sed vac. quid innov.* Ex quo tamen tit. nullam probari limitationem dicit Dn. Struv. *c. 5. aph. 9* Inferiores Ecclesiastici, ut Presbyteri, Diaconi, Canonici &c. de propriis equidem & patrimonialibus liberè disponere possunt, de Ecclesiasticis verò tunc demùm, si tali officio pol-
lent, cui infeudandi copia annexa. Hæc de Clericis.

§. 2.

Inter Laicos præcipuum omninò locum obtinet Imperator, de quo, quod possit de rebus patrimonialibus feuda concedere, non dubitamus. An verò de bonis Imperii, latissimè exponit Dn. Struv. *c. 5. aph. 6.* quò nos remittimus. Electores quoque Principes, Comites, Barones, Nobiles, (quorum nomina latè explicat Curt. *p. 2. q. 2.* Sonsb. *p. 6.*) & omnes denique, qui liberam rerum suarum administrationem habent, de rebus propriis feuda dare possunt, *1. F. I. 2. F. 23.* De Plebejis & rusticis res non omni caret dubio. Qui eos de novo feudum dare posse negant, ut facit Curt. *p. 2. q. 2.* Niell. *disp. 2. th. 1.* nituntur text. *1. F. I.* ubi inter personas, quæ feuda dare possunt, non recensentur Plebeji. Illis verò rectè contradicunt Ruding. *lib. 1. c. 19.* Carpz. *Disp. 2. th. 8.* Hunn. *tr. feud. c. 7. p. 103.* ubi ad contraria respondet. Nec pro dissentientibus quicquam facit adductus text. *1. F. I.* Quòd enim Feudif-
sta ibi enumeratione certarum personarum cæte-

ros

ros excludere noluerit, ex eò facile dijudicandum, quòd nec Imperatoris, nec Papæ, nec Ecclesiæ Antistitum, qui Episcopo inferiores sunt, ibi mentio fiat, cum tamen in aperto sit, hos feuda concedere posse. Et hoc quoque de jure Saxonico procedere, ex Schrad. *de feud. p. 4. c. 2. n. 57.* notat Schulz. *c. 4. n. 26.* Uti igitur nullam dignitatis distinctionem facimus, ita nec sexus differentiam statuemus. Fœminæ enim quamvis jure Longobardico, (secundum quod in perpetuâ tutelâ erant, Ardiz. *summ. Feud. c. 9. in fin. Cujac. lib. 1. obs. II. per l. 1. Longob. qual. mul.*) sine tutoris autoritate nihil alienare potuerint. Godofr. *not. ad 2. F. 3. §. 1. vers. fœminam.* & præterea jurisdictionis incapaces videantur, *l. 12. §. 2. ff. de jud. & l. 2. ff. de R. J. l. fin. C. de arbit.* Attamen illud jus Longobardicum hodiè cessat, & per jura noviora feudalia correctum est: Jurisdictio quoque jure civili iis interdicta, jure feudali & Canonico concessa legitur, *2. F. 17. c. dilecti 4. X. de arbitr. c. 36. significavit, de Rescript. & Gloss. l. fin. C. de arbit.* Hanc sententiam ulterius confirmant tum regula generalis *2. F. 3.* proposita, tum textus *2. F. 3. §. 1. vers. fœminam. 2. F. 6 91.* Schrad. *p. 4. c. 1. n. 9. Vult. lib. 1. c. 3.* Quod si tamen fœmina impudicè vivat, bona dissipet, aut ex forma Statuti alienare prohibeatur, contrarium obtinere putant, *arg. l. 15. de Cur. fur. l. fin. ff. de O. & A. 2. F. 3. §. 1. Obrecht. t. f. lib. 3. f. 1. n. 73. Schneid. p. 3. n. 74.* Jure Sax. utpotè quo mulieres per se nihil alienare queunt, *Const. Aug. 15. p. 2.* sine consensu Curatorum

feudum constituere non possunt, exceptis fœminis Illustribus, Schulz. *Syn. Feud. c. 4. n. 23.*

§. 3.

Tantum de personis, quæ feuda conferre possunt; Cæterum ea dare nequeunt, quarum consensus, quippè qui in omni alienatione requiritur, aut omnino nullus est, aut pro nullo habetur. Cujusmodi ratio est infantum, furiosorum, mente captorum, prodigorum. *l. 1. §. 12. de O. & A. l. 5. & 40. de R. J. l. 2. C. de contrah. emp. l. 2. C. de cur. fur.* Furiosus tamen dilucida intervalla habens, investire potest, *l. 6. C. de cur. fur. Rosent. c. 3. concl. 17.* Senes etiam nonnulli huc referunt, quòd in iis sensus puerilis vigeat, pueri verò infeudare prohibeantur. Sed cum & hi donare, & testari possint, *l. 3. pr. C. qui testm. fac.* nec à potestate infeudandi removendi erunt. Alvarott. *tab. f. 1. c. 1.* Schneid. *p. 3. n. 74.* nisi senectus rationis usum simul substulerit, quæ Baldi limitatio est ad *l. 2. C. qui testam. fac. poss.* Minor equidem & pupillus, cum legitimam rerum suarum administrationem non habeant, non possunt feuda de novo dare, imò nec auctoritate tutorum & Curatorum. Cum enim hi res immobiles sine decreto Magistratus alienare non possint, *l. 1. de restit. eor. qui sub cur. & tit. C. de præd. & aliis reb. pupill.* atque infeudatio sit species alienationis *2. F. 3.* neque feuda sine eodem decreto conferre poterunt. Semper itaque decretum Magistratus requiritur, *Wes. c. 4. n. 6. Rudin. contr. lib. 1. c. 39.* Quòd si tamen vel dignitas Minoris aliud svadeat,

at, v. gr. si Princeps, vel alia illustris persona fit, arg. l. 1. §. 1. de admin. tut. l. 7. §. 3. ff. de donat. Gail. 2. obs. 72. n. 8. vel si minor se investituræ novæ non contraven-
 turum juraverit, arg. auth. Sacramenta puber. C. si advers. vend. aut si eam rem, quam Pater, vel alius, cui successit, in feudum promisit, præstet, l. 5. §. 4. de reb. eor. qui sub tut. si singulari Principis privilegio minori hoc permissum sit, & denique aut magna utilitas, aut summa necessitas id exigat, etiam non intercedente decreto Magistratus investire poterit. Hostiens. in summ. de feud. n. 9. Matth. de Afflic. c. 7. n. 7. Muto simul & furdo quoque adempta est facultas concedendi feuda, arg. §. 4. F. de Curat. l. 20. de reb. aut. tut. j. 2. F. 3. Struv. c. 7. aph. 4. Secus, si tantum mutus, aut saltem furdus sit. Huic enim, ut & cæco, arg. l. 1. §. 3. ff. de postul. l. 6. ff. de jud. hæc potestas permittitur, arg. l. 93. §. 1. & 2. ff. de acquir. hered. Finckelth. Disp. 5. controrv. II. Filiusfam. in iis bonis, in quibus liberè disponere non potest, (qualia sunt excepto peculio castrensi, quasi castrensi, & adventitio irregulari, l. 6. §. 2. l. 7. & ult. pr. C. de bon. quæ lib. omnia reliqua) non potest feudum concedere, 2. F. 3. Idem quoque iudicium esto de servis, & hominibus propriis, quorum illi nullum omninò jus habent, l. 3. §. 1. de cap. min. l. 32. ff. de R. J. & omnia, quæ acquirunt, Domino cedunt, §. 1. F. de his, qui sui, & c. l. 1. §. 1. ff. eod. Hi verò insciis Dominis nō possunt alienare, l. 2. C. in quib. caus. coloni. Pari jure & statuliber utitur, l. 1. 9. 16. l. 29. ff. de stat. lib. l. 81. ff. §. 9. de leg. 1. Sunt & alii, quibus ob aliquē defectum

fectum personæ suæ libera rerum administratio denegata, & consequenter feudorum constitutio interdicta videtur. In quorum numero Hæretici, *l. 4. §. 3. C. de Hæret. & Man.* quales sunt Manichæi & Donatistæ, *l. 4. pr. C. de hæret. & Man.* Apostatæ, qui nomine Christianitatis induti, sacrificia sacrilega, vel fecerunt, vel facienda mandârunt, prout describuntur *in l. 4. C. de Apost.* Item, de publico crimine damnati, & qui commiserunt crimen læsæ Majestatis, *l. fin. C. ad. L. Jul. Maj. ibi: nec alienare. l. 15. ff. de donat.* Banniti, hi enim sicut civitatem, ita & omnia jura, & sic quoque jus alienandi & infeudandi perdunt. Accedit & hoc, quod bannitus tanquam infamis jurisdictionem exercere non possit, *l. 12. §. 2. ff. de iud. l. 2. C. de dignit. l. 2. C. de Senat.* De jure Longobard. Leprosi etiam feuda concedere non poterant, *l. 1. jur. Long. d. ult. volunt. Rosenth. c. 3. concl. 19. Ardz. rubric. 14.* Postremo de procuratoribus annectendum, quod illi, si quidem speciale ad id mandatum habeant, vel liberam alienandi potestatem, omnino & de novo infeudare possint, *l. 60. §. fin. Mand. j. 2. F. 3.* Præsertim, si concessio ad utilitatem Domini spectet. Unde in gratuitâ secus esse statuit Finkelth. *Disputat. 5. contr. 12. Ludw. Syn. feud. cap. 5. pag. 39.*

§. 4.

Dictum hætenus de personis feudum conferentibus, restat nunc, ut ob mutuam relatorum naturam etiam de personis acquirentibus quædam ex-

exponamus, id quod capite subsequente sumus
facturi.

CAPUT V.

*De Personis feudum Ac-
cipientibus.*

§. I.

FEUDUM accipientes dicuntur Vasalli, 2. F. 12.
14. & passim. Milites, 1. F. 22. Fideles, 1. F. 1.
§. & quia, 1. 1. F. 4. §. 5. si quis. Beneficarii, 1. F. 20.
Clientuli, 1. F. 10. Feudatarii, *Constit. Henrici II. de caus.
feud. amit.* Et sunt omnes, qui non expresse in jure
feudali prohibiti inveniuntur, 2. F. 3 §. 1. l. 43. §. 1. ff.
de procur. Et, cum ipse Feudista non distinguat per-
sonam investituram accipientis, 2. F. 3. §. 1. *vers. perso-
nam.* Nec nostrum erit distinguere, 1. 8. ff. *d. Publ. in
rem act.* Nov. 2. c. 3. *vers. sicut.* Sed omnes non adhibita
ratione conditionis, sexus, ætatis, qualitatis, & digni-
tatis admittimus. Unde patet, Clericum à feudi
acquisitione non esse removendum. Quamvis
enim Vasallus Clericus factus feudum amittat, 2. F.
26. §. 4. 30. & Clericus Deo militans secularibus ne-
gotiis se implicare non debeat, 2. F. 21. *c. placuit, 3. caus.
21. q. 3.* Insuper ad militandum videatur inhabilis,
c. ex multa 9. §. fin. X. de vot. c. 5. Clerici, caus. 23. q. 8. prout
hæc in contrarium adducunt Niell. *Disp. 2. th. 6.* Petr.

F

De

De Bella Pertica, c. 4. Propterea tamen quaestio neganda non est. Quod enim feudi amissionem propter Clericatum attinet, maxima est differentia inter feudum concessum & concedendum. Si is, cui feudum concessum, postea fiat Clericus, utique jure eò privatur, quod Domino servitia amplius praestare nequeat, quo in casu Domino nihil imputari potest, utpotè qui scire non potuit, Vasallum aliquando Clericum fore: At si Clerico à Domino sciente feudum detur, Dominus sibi imputet, quòd inhabili feudum concesserit, neq; adeò postea de dāno conqueri poterit, quia tali personæ sciens feudum cōferens, aut planè servitia remisisse, aut ipsi personæ convenientia desiderasse, aut saltem tacitè permisisse videtur, ut per substitutum serviat, *arg. l. 2. ff. de Jurisdic. Facit huc textus expressus, 2. F. 40. §. item Clericus c. si ex transmissa 6. X. de for. comp. Somb. p. 7. n. 3. Vult. lib. 1. c. 4. Quod etiam velle videtur Lehnrecht / post pr. vers. welcher Herr. Gloss ord. Landrecht / lib. 1. art. 14. super verb. flagen. Hartm. Pift. lib. 2. q. 33. n. 22. & seqq. De Ecclesia aut monasterio, quòd feuda possint accipere, ita tamen, ut Prælatus ejus nomine fidelitatem juret, minus dubii habet, cum illud 2. F. 40. c. fin. expressè decisum sit, nec non jure Canon. etiam cōfirmetur, c. 1. §. verū. de stat. reg. in 6. Et licet Ecclesia nunquam mori dicatur, & sic nulla sit spes feudum ad Dominum aliquando reversurum esse, 1. F. 103. ideò tamen concessio frustranea non est, d. c. fin. 2. F. 40. Schneid.*

p. 3. n. 104. Ruding, lib. 1. contr. § 2. Quod de Clerico dictum, etiam ratione Monachi affirmandum erit: Hic enim, quamvis servitia præstare nequeat, tamē concedens dispensasse videtur, ut per alium exhibeatur, aut ut tale servitium præstetur, quod Monacho honestè exequi queat, aut feudū planè erit Frācum. Feudum tamen non sibi, quia nihil proprium habere potest, sed monasterio acquirit, Nov. 5. c. 5. *auth. ingressi, C. de SS. Eccles.* Sonsb. p. 1. n. 23. Rosent. c. 3. *concl. 4.* Notanda est tamen exceptio, si monasterium feudi non sit capax, quo in casu frustra Feudum Monacho conceditur Carpz. *Disp. 3. n. 36.* Ratione sexus & Masculi, & Fœminæ feudum accipiunt. De Masculo res expedita. *F. 6. §. 1.* De Fœmina itidem affirmativa arridet, secundum supra allata, quod Dominus tali personæ feudum concedens, servitia aut remisisse, aut substitutum idoneum admisisse, præsumatur, præsertim cum hodiè non tantum ob officia militaria, sed etiam ob alia in pace obeunda feudum constituatur, *I. F. 8. §. 2. 2. F. 17. 30. 50.* Vult. *lib. 1. c. 4. n. 5.* Ardiz. *in summ. c. 23.* Cum itaque uterq; sexus feudorum capax sit, de Hermaphroditis multominus erit dubitandum, non attenta distinctione, an magis in sexum fœmineum, an verò masculinum inclinent, quamvis ea distinctio in successione locum habeat, Godofr. Anton. *Disp. 2. th. 6.* Borch. *c. 5. n. 48.* Infans quoque investiri potest, scil. tutoris autoritate interveniente, *arg. l. 18. §. 2. C. de jure delib. l. 32. §. 2. de acq. vel amit. poss. l. 7. §. 3. & 7. C. de Cur. fur. ut*

& pupillus auctoritate tutoris potest feudum accipere, quamvis à juramenti præstatione, donec legitimam ætatem impleverit, liber sit. Minor verò tam cum, quam sine Curatoris auctoritate feudum rectè acquirit, ita, ut etiam ad servitia obligetur, Dissentientium Sonsbecii *p. 7. n. 17.* Arumæi *Disp. 36.* argumentis respondent Vultej. *lib. 1. c. 4. n. 6.* & Schulz. *Syn. feud. c. 5. n. 7.* eamque sententiam tanquam communem tenent, Niell. *Disp. 2. th. 5.* Wes. *c. 5. n. 5.* Ludw. *c. 6. p. 115.* Mutum, surdum & cæcum, item prodigum, & furiosum hæc saltem additâ distinctione, quòd furiosi non per se, sed Curatorem acquirant, feuda posse accipere non dubitatur. Et licet hæ personæ ad servitia præstanda inhabiles sint, Dominus tamē conditionem earum non ignorans, præsumitureis hanc gratiam fecisse, ut per substitutum servire possint, Zas. *p. 5. n. 66.* Schneid. *p. 3. n. 107.* Et hoc jure Sax. quoque observatur, non obstante textu in *art. 4. lib. 1. ibi: Das Lehn stirbet weder auff Kriepel/ Zwerge/ oder Stumme.* Non enim ibi dicitur, quod ejusmodi imperfecti non possint feuda acquirere, sed quod in feudis non succedant, Schneid. *p. 3. n. 107.* De servo controvertitur, an possit investiri, pro cujus quæstionis decisione distingv. an servus proprius fuerit investitus, an verò alienus. Si proprius, & Dominus sciverit, servum suum esse, valet infeudatio, & libertas tacitè concessa præsumitur; si ignoraverit, putans eum esse fortè liberum, vel libertum, irrita est infeudatio propter erro-

ro-

rorem in persona investita. Errantis enim nullus consensus, *l. 9. C. de jur. & fact. ignor.* Si servus alienus, subdistingendum, an ipsi contemplatione Domini feudum concedatur, & Domino feudum acquiritur, nec servus fit liber, *arg. §. 3. per quas person.* an verò servo contemplatione sui, Domino tamen sciente, & non contradicente, & servus sibi feudum acquirit, atq; simul etiã per tacitum consensum & patientiam Domini libertatem consequitur. Quod si ignorante Domino, vel sub tali conditione, ne ad Dominum perveniat, tunc neuter feudum accipit, *arg. auth. excipitur, C. de bon. quæ lib. l. 6. C. qui mil. poss. l. 32. ff. de R. J. l. 49. §. 1. de acquir. poss.* Si verò dubium sit, an contemplatione Domini, an servi datum sit, pro Domino præsumtio militat, *Sonsb. p. 7. n. 21. Ruding: lib. 1. contr. v. 22.* Sed hæc quæstio servitute nunc sublatâ supervacanea videtur. De propriis hominibus, utpotè qui propria possident bona, & sibi acquirunt, non dubitandum, *Vult. lib. 1. c. 4. n. 7. Obrecht. lib. 2. c. 2. n. 61.* Nobilis quis sit, an ignobilis, nihil hîc interest. Circa personam enim accipientis non distinguimus, *2. F. 3. §. 1. v. personam.* Nam & rusticus feudum accipere potest: & si ipsi ab eo, qui nobilitandi facultatem & voluntatem habet, feudum cõferatur, fit simul nobilis. Nec istud refert, utrum acquirens sit superior, an inferior; cùm & Papa, teste *Zafio p. 5. n. 73.* ab Ecclesiis, & Imperator à Comitibus feuda capiat, uti hoc exemplis illustrat *Vult. lib. 1. c. 4. n. 9.* Iisque casibus & fidelitatis juramentum



præstare, & per substitutum servire, obstricti sunt. Cæterum filiusfam. etiam potest feuda acquirere, an verò ususfructus talis feudi ad patrem spectet, inter Dd. non convenit. Alii usumfructum patri acquiri statuunt ideò, quia in jure feudali nihil de eò decisum, & sic ad jus civile recurrendum sit, quod usumfructum in peculiò adventitiò patri tribuit, *l. c. pr. C. de bõ. quæ lib. §. I. per quas pers.* Insuper fructus feudi à solo separati nõ feudales, sed allodiales existant: allodialia verò ad patrem pertineant, *d. d. text.* Quam sententiam ita limitat Sonsb. ut si filius contemplatione militiæ acceperit, aut ab Imperatore, aut eò pacto, ne ad patrem ususfructus perveniat, tunc pater excludatur. Verum cum feudum detur ratione militiæ, & sic castrensi, vel quasi castrensi peculiò accensendum sit, quod patri minimè acquiritur, *pr. Inst. per quas person.* præterea filius aliàs nihil habiturus sit, & alius usumfructum, quam cui Dominus concessit, acciperet, filio potius usumfructum talis feudi acquiri statuimus. Et licet jure feudali hic casus non expressis verbis decisus inveniatur, bona tamen ratione inde elici potest. Nam & jure civili constitutum, ne fructus bonorum castrensiùm, qualia sunt feuda, patri applicentur. Præterea hinc non de fructibus feudi, sed ipso feudo est controversia. Procurator in hac acquisitione quoq; admittendus videtur, si sc. speciali ad hoc mandato instructus accedat; si verò absq; speciali mandato feudum alteri acquirere velit, id nõ valet, nisi Dominus istud ratum habeat. A
gene-

generalia. supradicta regula excipim9 Excommu-
 nicatos, c. 32. c. 11. q. 3. Apostatas, l. 4. C. de Apostat. Hære-
 ticos, l. 4. §. 2. l. 10. C. de Heret. & Man. Proscriptos, De-
 portatos, Judæos, Usurarios manifestos, Damnatos
 de publ. crimine, l. ult. C. ad L. Jul. Maj. l. 9. C. de bõ. proscript.
 & tandem infames, 2. F. 37. pr. & 16. Andr. Gail.
 de pac. publ. l. 2. c. 2. & 12. Godofr. Ant. Disp. 2. th. ult. Ru-
 ding. lib. cõtr. 1. c. 59. n. 14. Præprimis verò Jure Sax. Cle-
 rici, etiã fœminæ, rustici, mercatores, infames, spu-
 rii, & omnes, quorum Pater, Avus, & Proavus non
 fuerunt Nobiles, feuda nova' acquirere prohiben-
 tur, art. 2. Lehnrecht. Schrad, hîc. Aliàs exceptio-
 nes habet Petrus de Bella pertica, censens feudum
 etiam denegandum esse inimico capitali Domini
 sui, nec non ei, qui de alieno foro est, quam Do-
 minus principalis, arg. l. 1. ff. de alienat.
 mut. jud. caus.

Tantum. S. D. G.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.







Leipzig, Diss., 1674 (1)




TA → OL


f

neu 1+7 Stück verknüpft

V3 17







EXERCITATIONUM JURIDICARUM

De

FEUDIS,

PRIMA

Eorum Definitionem, Divisionem,
& Subjectum continens.

Quam

Deo, & superioribus allubescantibus

PRÆSIDE

VIRO

*Plurimum Reverendo, Nobilissimo, Amplissimo, Consul-
tissimo atq; Excellentissimo*

DN. PAULO FRANCISCO RO-

MANO, J.U.D. Com. Palat. Cæs.

Pandect. P. P. celeberrimo, Amplissimæ Facultat. Jurid.
Assess. & Canon. Numburg. Gravissimo.

Domino Patrono & Præceptore atq; atem devenerando.

Solenniter proponit

JOHANNES GEORGIUS à SCHÖN-
BERG, Eqves Misnicus.

AUTHOR

d. 22. April. Anno, M. DC. LXXIV.

horis locoq; solitis

L I P S I Æ,

STANNO COLERIANO.

*Vox die fr. Schöner von
Lombard.*

*1674, 19^a
21*

1. April. 25